

dicamentum substantiæ, et solum supponunt pro materia: aliud est quod tota ratio essentialis artefacti, in quantum artefactum, sit materia, cum constet speciem et essentialem rationem artefacti pendere a forma artificiali. Et quando dicitur, quod artefacta perficiuntur per formam, ly perficiuntur non dicitur accidentalem, sed essentialem perfectionem, sicut homo perficitur per rationale, quia ibi terminatur ejus essentialis compositio.

LXXII. Secundo respondetur, quod hic non loquimur de compositione sacramenti ex subjecto et significatione, quæ est forma artificialis, sed ex verbis et rebus, quæ sunt materia et forma, in quantum ex illis sit unum subjectum reale sacramentalis significationis. Ex institutione enim divina assumptum fuit pro subjecto compositum hoc, et ideo supposita tali institutione, essentialiter et intrinsece illud subjectum petit talia extrema et partes componentes: unde non est ad propositum compositio ex forma et subjecto, ex forma artificiali et materia.

LXXIII. Ad primam confirmationem eodem modo respondetur. Primo quidem, falsam majorem: ad cujus probationem dicitur, quod in albo et invenitur compositio ex his, respectu aggregati ex corpore et albedine, et in hac compositione albedo est pars; et reperitur compositio huic, secundum quod albedo trahitur ad esse corporis, et illi inhæret, et sic non est pars. Et sic etiam figura non est pars, et sic Aristoteles dicit accidens non inesse ut partem, quia considerat compositionem, seu conjunctionem ejus ut huic.

LXXIV. Secundo dicitur, quod in artefactis, verbi gratia in domo, et est compositio partium ad invicem, ut parietis cum tecto et fundamen-

to, etc. et hæc ex partibus est: et est compositio ex figura et materialibus, et hæc partes non dicit, quia accidens non est pars simul cum substantia. Compositio sacramenti ex materia et forma verbali assimilatur primæ compositioni artefacti, et de hac loquimur in præsentia: compositio vero ex significatione et materia assimilatur secundæ, et de hac non loquimur in præsentia.

LXXV. Ad secundam confirmationem dicitur, formam verbalem eucharistiæ utramque rationem habere, et esse perfectivam significationis specierum panis, sicut verba expressius significant quam res, et secundum hanc considerationem componitur cum speciebus ad modum formæ intrinsecæ unum subjectum significationis sacramentalis; non quia informando id faciat, sed secundum ordinem quemdam et conjunctionem, ut explicatum est. Habet etiam esse instrumentum divinæ virtutis ad efficiendum ipsum sacramentum eucharistiæ, et ponendum corpus Christi sub speciebus; nec est inconueniens, quod id quod ex institutione divina est forma componens, sit etiam instrumentum compositionis; sicut potest Deus mediante anima ut instrumento, resuscitare et unire illam corpori, et efficere ipsum corpus, et tunc esset forma intrinseca corporis et efficiens, sed non efficiens principale, sed ut instrumentum Dei: sic et in præsentia.

LXXVI. Potest etiam dici, quod verba non componunt sacramentum eucharistiæ secundum se et entitatem suam, sed virtute qua manet in speciebus, ut supra dictum est: et ideo aliud est quo componunt intrinsece; aliud quo sunt efficientia, scilicet secundum entitatem suam.

LXXVII. Ad tertiam confirmatio-

nem respondetur negando minorem: et ad probationem dicitur, quod in sacramento pœnitentiæ, confessio dolorosa exterius expressa significat sacramentaliter gratiam dandam virtute clavium, quia subicit se illis, et ita significat ipsam contritionem ut formatur charitate, et passionem Christi dolorosam ut dantem gratiam virtute clavium; nec id sola forma significat sacramentali modo. Eucharistia etiam significat ratione verborum, cum species ipsæ non significant Christum nisi ut determinatæ a verbis. De se enim indifferentiam et indeterminationem ad id habebant, et ideo verba etiam significant sacramentaliter, non permanenter ratione suæ entitatis, quæ transit, sed permanenter ratione determinationis, quam in speciebus relinquunt, et in fieri ratione suæ entitatis, quæ quia postea virtualiter manet in speciebus, ipsa verba dicuntur significare, et componere ratione virtutis suæ realis et determinationis, sicut elementa componunt mixtum.

ARTICULUS VII.

Utrum in sacramentis requirantur determinata verba?

I. Prima conclusio in corpore: Determinata verba requiruntur ad efficiendum sacramentum, multo magis quam determinatæ res seu materia, cum forma sit principium magis determinatum quam materia.

II. Secunda conclusio solutione ad primum et secundum: In quacumque lingua proferantur verba, dummodo eundem sensum reddant, conficitur sacramentum; illa tamen verba seu voces assumendæ

sunt, quibus principaliter et communius homines utuntur in illa lingua.

III. Tertia conclusio: Qui ex industria profert verba corrupte, non videtur perficere sacramentum, cum non videatur intendere quod facit Ecclesia.

IV. Quarta conclusio: Si ex errore, vel lapsu linguæ varientur verba, attendendum est ad sensum quem reddunt sic corrupta; si enim totaliter auferant sensum locutionis, non conficitur sacramentum; si vero non totaliter auferatur sensus, sed saltem per accommodationem significant, adhuc conficitur.

V. Quinta conclusio: Quando corruptio verborum sit in principio dictionis, regulariter loquendo auferit sensum, magis quam si ex parte finis contingat; magis tamen attendenda est quantitas corruptionis, quam ista regula.

VI. Principalis conclusio S. Thomæ optime probatur ab ipso in corpore articuli, quia verba se habent per modum formæ respectu rerum, quæ se habent ut materia in sacramentis; in his autem quæ componuntur ex materia et forma, forma est principium determinationis materiæ, cum sit finis ac terminus ejus, determinatam ei præbens actualitatem, et esse in eo in quo est forma: igitur magis requiritur determinata forma quam determinata materia, et ita si res sensibiles debent esse determinatæ ex institutione divina, quia materiæ sunt ad sanctificationem nostram sacramentaliter ordinatæ, multo magis id quod est forma talis materiæ, determinatum esse debet ut expressionem et determinationem significationem tribuat.

VII. Secunda conclusio explicatur, supponendo quod variatio verborum potest esse vel in materiali vocis, vel in formali sensus. Et rur-

sus formalis sensus sumi potest vel secundum formalitatem significationis et impositionis vocis, vel secundum formalitatem sensus intenti, qui idem reddi potest, sive secundum hanc significationem, sive secundum illam. Et quidem variatio verborum in materiali sono vocis non refert, dummodo idem sensus reddatur. Sic enim dicit Augustinus: « Quod verbum operatur in sacramento, non quia dicitur, sed quia creditur, » hoc est, non secundum exteriorem sonum, sed secundum sensum, in quo creditur: ergo manente sensu et significatione, quantumcumque mutetur materialis sonus verborum, nihil de forma verborum determinata minuitur.

VIII. Rursus in aliquibus sacramentis instituta est forma verborum a Christo Domino, ita ut significatio illorum verborum si varietur, confici non possint, ut patet in sacramento baptismi, eucharistiæ et in aliis sacramentis, in quibus determinata significatio verborum esse debet secundum usum et veritatem sacramenti requisita. In matrimonio autem requiritur determinata significatio verborum solum quantum est necessaria ad perficiendum contractum naturalem inter legitimas personas, quibuscumque verbis aut significationibus id fiat, dummodo contractus sufficienter celebretur, et ita determinatio formæ non ex significationibus utcumque, sed ut perfectivis contractus sumenda est; in aliis autem ut significant veritatem et usum sacramenti.

IX. Tertia conclusio S. Thomæ videtur sic intelligenda, quod qui profert de industria verba corrupte, hoc est, intendendo ipsum sensum corruptum, et sciendo esse corruptum, tunc enim directe est contra intentionem Ecclesiæ, nec potest

peraccommodationem saltem reduci ad bonum sensum; industria enim duo dicit, et scientiam, et intentionem, et non solum, quia scienter corrumpit, sed quia intendit corruptum sensum, non conficit.

X. Quarta conclusio intelligenda est, quod ille tollit totaliter sensum locutionis, qui nec ex proprietate sermonis, nec ex accommodatione usus potest debitum sensum et veritatem reddere ad sacramentum requisitam; alias vero conficitur, et ideo contingere potest, quod vox quæ seorsum alium sensum reddit, ut tamen pars corruptæ prolutionis non propriam sequatur significationem, sed accommodationem ejus, qui licet corrupte proferat, intendit tamen verum sensum. Et quidem ordinarie magis judicatur corrupta prolutio, quando ex parte principii dictionis fit mutatio, quam quando ex parte finis, licet quantitas potius corruptionis attendenda sit. Aliqua enim corruptio est totaliter sensum destruens, ita quod nec corrupte et barbære saltem potest reddere sensum requisitum; et alia corruptio est, quæ reddit sensum barbarum et corruptum, sed non totaliter illum alienat, etiam respectu accommodationis et usus: quod asseritur in quinta conclusione.

DUBIUM UNICUM.

AN REQUIRANTUR DETERMINATA VERBA
AD CONFICIENDUM SACRAMENTA?

Conclusio est affirmativa.

XI. Pro cujus intelligentia est advertendum, quod cum in verbis sint duo, scilicet et materiale, quod est subjectum significationis; et formale, quod est significatio reddens sensum. Cum autem determinatio

verborum requiratur ratione sensus seu significationis, qua determinant materiam ut expressius significetur sacramentale significatum, secundum quod dicit Augustinus tractatu LXXX in Joannem: « Operari verbum in sacramentis, non quia dicitur (id est, ratione materialis soni, sed quia creditur) id est, ratione sensus, qui fide tenetur, fit quod stante eodem sensu et significatione, remaneat determinatio verborum requisita, ea autem sublata, tollatur determinatio. Contingit autem diversis materiis eandem inesse significationem, idem enim pluribus solet verbis ac distinctis vocibus significari, tam in diverso idiomate, quam in eodem. Contingit etiam diversis vocibus, aut diversimode prolatis eandem non inesse significationem, nec reddi eundem sensum.

XII. Et hoc dupliciter, uno modo, quia non inest eadem, attendendo ad impositionem absolute, quia revera illa vox absolute aliam impositionem habet: alio modo, quia non solum quoad impositionem, sed etiam quoad usum, et accommodationem hominum diversam habet significationem. Et e contra contingere potest, quod aliqua ex impositione diversimode significantia, ex accommodatione et usu hominum idem significant, propter similitudinem unius vocis cum alia, quatenus potest dici quodammodo alia, saltem corruptione, scilicet, propter hominum sic utentium accommodationem.

XIII. Igitur omnis illa mutatio, seu corrupta prolutio, quæ veritatem et sensum in sacramentis intentum non reddit, saltem secundum accommodationem hominum, censetur verborum sacramentalium mutatio, et sublatio validitatis sacramenti. Et ideo quando est tanta corruptio in verbis, ut non retine-

ant sensum et veritatem, utroque modo quacumque intentione proferrantur verba, nihil fit. Quando vero corruptio non est tanta, quin saltem per accommodationem et usum possit ad rectum sensum trahi, et tamquam lapsus linguæ reputari, tunc oportet intentionem ipsam ministri indagare: si enim intendit facere quod facit Ecclesia, conficit, quia tunc de industria non corrupte profert, industria si quidem intentionem includit. Si vero non intendit facere quod facit Ecclesia, non conficitur sacramentum, quia de industria corrupte protulit, etsi alias potest ad debitum sensum, saltem per accommodationem reduci. Dum tamen non constiterit de intentione ministrantis ex exterioribus, judicandum est et præsumendum non fuisse sacramentum confectum.

XIV. Ex quo colligitur, quod mutatio impositionis unius verbi nihil variat de sacramenti forma, nisi sensus ipse corrumpatur, alias enim reputatur ut pars corruptæ orationis, cujus sensus in accommodatione manet integer: et sic oratio dupliciter est corrupta, uno modo in sensu, quem debet facere: alio in prolutione, seu oris sono. Quando est corrupta primo modo, non conficitur sacramentum, quia tunc nec per accommodationem, nec per impositionem significat: quando vero secundo modo est corrupta, si intentio indebita non impediatur, fit sacramentum, et eadem verba manent.

XV. Sed quid si sciens et videns quis proferat formam corruptam, ut: In nomine Patriæ et Filiæ, etc. callens linguam Latinam, et advertens se sic proferre, intendens tamen facere quod facit Ecclesia, censebitur tunc sola corrupta prolutio, et per accommodationem integer sensus; an etiam veritatis sensus sublatus, respondetur quod

etsi sciat linguam Latinam, si non advertenter, aut si ex naturali impedimento linguæ proferat corruptam illam orationem, censetur mutatio solum accidentalis; si autem advertenter sciens linguam Latinam, et non ex impedimento proferat corrupte, malitiose id facit, et non videtur posse habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ut S. Thomas dicit ad tertium; non enim solum corrupte profert, sed intendit sensum corruptum, sciens illum Ecclesiæ non esse.

XVI. Sed instabis: Nam ipse solum intendit proferre advertenter, quod alius profert balbutienter; unde intendit substantialem sensum Ecclesiæ modo tamen corrupto prolatum. Nam quod advertenter vel balbutienter id faciat, non videtur variatio esse substantialis, sed accidentalis.

XVII. Respondetur, quod speculative talis bene potest intendere sensum illum, practice vero non apparet quomodo illum intendat. Nam si advertit verba illa, quæ profert, habere significationem distinctam e verbis veræ formæ, quomodo potest intendere significationem veram, quæ in illis verbis non invenitur secundum se, et ut recte prolatis. In illis autem ut balbutienter prolatis non invenitur significatio peculiaris, sed per accommodationem illa invenitur, quæ intendebatur. Quare semper recurrendum est ad intentionem proferentis, quod illa verba ex impositione significant unum, et ex accommodatione aliud, æquivoce se habent; sic in intentione ministri determinanda sunt, quæ tamen in eo casu non videtur recta, ut dicit S. Thomas.

XVIII. Unde notandum est, quod verba, licet secundum se sint imposita per publicam impositionem, tamen possunt aliquando non significative proferri, etsi ipsa sint sig-

nificativa; sicut multoties forma aliqua sacramentalis profertur materialiter tantum: et hoc magis verum habet in verbis, quæ practice significationem peculiarem habent. Et hinc est quod illi qui balbutienter pronuntiant, licet intendendo unum proferre, proferant aliud, illud aliud tamen non significative proferunt, licet sit alias significativum: hoc enim ipsis per accidens est. Sicut enim lapsus linguæ balbutiendo in vocem significativam devenit, ita in non significativam posset devenire. Unde non significative profertur, et sic non habet virtutem, nec practice procedit ab eo qui profert, sed virtutem retinebit id, quod intendebat proferre; si tamen in voce transit dispositio, ut per accommodationem ad id trahi posset.

XIX. Et ideo sapienter Zacharias papa in capite Retulerunt, dixit quod si ex ignorantia, et non intendendo inducere novum ritum, prolata est forma illa: In nomine Patris et Filias, verum erat sacramentum. Qui tamen advertenter, non habens impedimentum linguæ, nec ignorantiam latinitatis proferret illam formam, significative illa verba proferret, et non solum per accidens, sed ex intentione et industria, unde non possent participare virtutem sacramentalem, nec haberet locum accommodatio ad veram formam, quæ tunc solum fit quando materialiter et veluti per accidens aliter prolatum est verbum.

XX. Quia vero significative proferri possunt ea verba, et ratione impositionis, et ratione accommodationis usus; qui primo modo profert, non conficit; qui secundo modo, conficit, quamvis difficile sit judicare, quod advertenter et sciens linguam Latinam sic proferat, et non secundum impositionem. Si autem quis balbutienter proferret ex joco, quasi alterum imitari vo-

lens ad irrisionem, non videtur serio agere, qualiter ad sacramentum requiritur, et ideo nec habere intentionem Ecclesiæ: sed de his latius sequenti articulo.

XXI. Colligitur ergo ex dictis, quod cum verba, seu forma sacramenti mutari possit et substantialiter et accidentaliter, omnis mutatio quæ tollit sensum et veritatem sive ex impositione sive ex accommodatione cognitam, substantialem esse; quæ vero aliter fit, accidentalem esse. Fieri autem potest mutatio octo modis, uno modo ex parte idiomatis; et hæc mutatio est accidentalis; in quacumque enim lingua proferatur forma baptismi conficit. Et idem dicendum est cum Cajetano hic, si de forma uno pars idiomate proferatur, pars altero. Secunda mutatio est, si loco verborum, quibus communiter utitur Ecclesia in aliquo idiomate, aliqua synonyma ponantur; ut loco *ly baptizo*, dicatur *abluo*; et hæc mutatio accidentalis est, si habet tres conditiones. Prima, quod voces in quas fit mutatio sint synonymæ, et ejusdem significationis, alias mutatio erit essentialis, et intelligitur synonyma saltem ex accommodatione et usu communi. Secunda conditio, ut significatio talium vocum, in quas fit mutatio, sit æque distincta, sicut ea qua communiter utitur Ecclesia, ratione cujus non valet baptismus quando dicitur: In nomine Trinitatis; et debet etiam esse vox ex communi placito significans. Tertia conditio est, ut si vox in quam fit mutatio sit synonyma, sed habeat etiam alias significationes, ita ut sit æquivoca, tollenda est æquivocatio ex aliqua particula adjuncta, aut circumstantiis quibus profertur; si autem æquivoca exterius manet, ex intentione qua profertur, et secundum quam significationem sensus ejus judicandus est.

XXII. Tertia mutatio est per transpositionem verborum, aut mutationem de activa in passivam. Et tunc eodem modo judicandum est, si tollitur sensus formæ, ita ut non æquivalet vero sensui, est substantialis mutatio, alias accidentalis. Quarta est per interpolationem, et causam in proferendo factam. Et tunc si moraliter loquendo non censentur verba in unam orationem convenire, est essentialis mutatio, sin minus accidentalis; et hoc moraliter judicandum est. Quinta mutatio est per additionem alicujus verbi; et tunc judicandum an mutet sensum verborum formæ, quia tunc erit essentialis, alias accidentalis: et etiam qua intentione addatur, multoties intuendum est quando additio potest in alieno sensu accipi, aut non; de quo sequenti articulo.

XXIII. Sexta mutatio est per subtractionem alicujus verbi, de qua dicendum est idem, quod de præcedenti. Qui enim tolleret a forma panis *ly ego*, mutatio esset accidentalis. Septima mutatio est per corruptionem verborum, quæ corruptio, ut dictum est, si non potest nec proprie, nec per accommodationem reduci ad verum sensum, est essentialis mutatio, alias non. Octava mutatio est, si verba mutarentur materialiter, id est, in nutus, aut scripturam, seu alia signa; et hæc mutatio substantialis est in sex sacramentis. In matrimonio vero accidentalis solum erit, dummodo sint sufficientia ad contractum faciendum in genere naturali.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIV. Arguitur primo: Magis determinata debet esse forma in sacramentis quam materia, ut dicit